



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Sabbato. De plagis in corpore Christi reservatis ad perpetuam memoriam.
In oblivione memoria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

quam se aliis videndum præbuit: ut sic eorum tenebras aperto lumine compensaret.

O quantum falleris, curiose persecutor divinæ providentiæ, cum causas quæris, cur res aliter atque aliter quam putares aut velles, tibi eveniunt? Si tu altiora quæsieris & plura nosse appetas, quam permittat Deus, opprimèris à gloria, & in miserandam obrebreſces cæcitatem: si verò divinas illas tenebras, quas inhabitare dicitur Deus, adoraveris, & in quolibet adverso casu libenter eas toleraris; tunc erumpet quasi mane lumen tuum, orietur in tenebris lux tua, & tenebre que erunt sicut meridies: & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam. Sic cum Propheta & Apostolo quique fideles proficere, quoniam Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, Ipselluxit

Prov. 25.
Pſ. 17.

Is. 58.

2. Cor. 4.

in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu.

Salubris porro est & his opportuna dictis admonitio ejusdem Apostoli: Eratis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulato: Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitia & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.

Vide Verbo Fides sparsim in singulis partibus: nominatim verò in 4. parte, Feria 2. 3. & 4. hebdomadæ vicissimæ; ubi de bonis tenebris.

Ad Evangelium Feriæ, De nobilissima omnium apparitione Domini, facta in monte Galilææ. Matth. 28.

Vide Feriam 2. hebdomadæ 4. post Pascha.

S A B B A T O. DE PLAGIS IN CORPORE CHRISTI Reservatis.

Ad perpetuam Memoriam.

Quid sunt Plage ista in medio manuum tuarum? Zacch. 13.

Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Thren. 3.

VERITAS PRACTICA.

In oblivione memoria.

Sensus & Ratio est, quod Christi Redemptoris nostri memoria debet esse tam frequens & tam grata, quam ipsum exigit redemptionis beneficium.

Sed talem memoriam hoc beneficium exigit, quæ sit in oblivione cæterarum mundi rerum, quibus occupari posset & impediri.

Ergo in oblivione memoria: sive à memoria Christi sequatur altarum oblivio: seu potius ab illa oblivione perficiatur Christi memoria.

I. PUNCTUM.

Hob. 2.

Quam verè Apostolus dixerit, Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum; & quam verè id

præcipue dici possit de plagis in ejus glorioso corpore reservatis, jam supra vitum est. Nunc verò has sacratissimas plagas repræsentata tibi acrius, & singulas intueri attentius; adora, venerare, & inquire humiliter quamobrem eas sibi Dominus reservare voluerit. Quid sunt plage ista in medio manuum tuarum?

Multæ quidem cogitari possent causæ, sed hæc in primis expendenda, quod sic indicare voluerit, quam studiosè vellet perpetuam redemptionis nostræ memoriam à nobis recoli, cum & ipse notas ejus indelebiles in omnem æternitatem spectandas conservaret. Dicamus ergo cum Propheta; Si oblitus fuero tui, Jerusalem! si oblitus fuero tui, Calvaria! si oblitus fuero tui, CHRISTE JESU, si tuæ crucis, si tui pectoris, si tui precii, & meæ per te redemptionis: oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio la-

Ephes. 5.

Matth.

Matth.

Thren.

Zacch.

Matth.

Pſ. 136.

Matth.

pio letitia mea, in principio meditationis meae, in principio conversationis meae, in principio cunctae actionis meae.

Verum ut frequentior & gratior esse possit talis memoria, sic necessaria est ceterarum rerum oblivio, ut in hac rerum oblivione, dici possit esse nostra Christi memoria: Et hanc quidem veritatem allata ratio ita probat, ut & illam rerum oblivionem simul persuadeat. Quid enim non persuadeat redemptionis nostrae beneficium in quo illa fundatur ratio? Quis vero non videat talem ei recolendo deberi memoriam, qualem potest à nobis suo exigere merito, & sua conficere gratia? Nam si Pater proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum & cum illo donavit omnia: si Filius ipse pro nobis effusus est sicut aqua, nihil prorsus reservans sanguinis: si denique Spiritus sanctus abundè nobis est datus, ut possimus, quod debemus, si velimus; quis tam impius, qui noller reddere quam tanto beneficio debet & potest memoriam? Memoria memor ero, & tabescat in me anima mea, Id est, totum me exhauriam, totum me dabo in illa memoria, quam debeo, conferenda. Memento verbi.

II. PUNCTUM.

Aqui hoc Beneficium talem memoriam exigit, quae sit in oblivione ceterarum mundi rerum, quibus occupari & impediri possent.

Primo enim exigit, ut nobis & mundo mortui, sicut ipse Christus pro nobis mortuus, soli Deo vivamus; ut qui vivunt, inquit, iam non sibi vivunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Talis autem mors, nonne rerum omnium oblivionem inducit & includit? Deinde vero talem exigit memoriam, quae sit ita frequens & grata, ut gratitudinem omnem Christo Redemptori testetur & proferat, quo ipse loco & tempore, potissimum velit à nobis proferri; Memento sermone mei. At nisi deponamus ex animo, ceterarum rerum memoriam, occurrent & occupabunt mentem, quo illo tempore, sui nos meminisse vellet Christus: Quis oblita es Dei Salvatoris tui. Denique tam ardentem simul cum memoria voluntatem à nobis exigit, ut non modò ejus recordemur, sed affectu moveamur, in recordatione tantae charitatis, quam exhibuit, nos redimendo, & quam

continuat, redemptionis nostrae diversos effectus per singula vitae momenta conficendo. Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Nisi verò cetera obliviscamur, affectum nostrum sic dividens & secum rapient, ut vix nullus restet sensus recolendo & diligendo Christo. Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.

Ah Domine Jesu, quomodo possum tui oblivisci, qui mei dignaris sic continud recordari? aut quomodo possum sic tui meminisse, ut cetera quaeque obliviscat? Quomodo sic oblivisci omnium, ut tui solius meminerim?

Fili, diligis me plus his? Nolo aliam mei memoriam quam quae est ex vera dilectione. Qui verè diligit, sic dilecti meminit, nullis ut aliis rebus memoria retardetur. Cujus vero memoria nullis aliis rebus retardatur, quin dilecti meminerit, satis superque dicendus est aliorum oblivisci. Sic Scriptum de Levitis, qui dixit patri suo & matri suae: nescio vos; & fratribus suis, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt. Sic dictum sponsae: obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Sic denique Apostolus: quae retro sunt obliviscens, quantum scilicet ei obviabant & eam impediebant, ne se ad priora extenderet. Nonne tu sic posses oblivisci?

III. PUNCTUM.

Sic ergo est in oblivione memoria, quam de Christo conservare debemus; ut si quid obftet, quò minus frequentissime & studiosissime de illo cogitemus & loquamur, totum illud planè abjiciamus, & perinde reputemus atque illa quae oblivioni mandamus; Sicut de se ait Deus. Oblivione obliviscar eorum. Nullius rei memoriam potest Deus abjicere, dicitur tamen illa oblivisci, à quibus id retrahit, quod contulisset. Sic dicuntur ingrati oblivisci benefactorum, quando id non praestant quod gratitudo exigit, licet meminerint personae & nominis, cui se debere fatentur; sic de his Sapiens: Repromissorem fugit peccator & immundus; Bona Repromissoris sibi adscribit peccator, & ingratus sensu derelinquit liberantem se.

Sicut itaque sufficiens erit rerum oblivio, si nul-

Luc. 15.

Is. 28.

Deut. 32.

Ps. 44.
Phil. 3.

Osee 1.

Ecclesi. 19.

si nulla res à recogitando sæpe & opportune Christo te avocet, sic prorsus si quid impedit, si quid magis mentem tuam occupat quam Christus tuus; tunc non rerum sed Christi oblivisceris. Alterutrum necessariò capienda est oblivio, vel rei, quæ memoriam Christi exturbat; vel Christi, cujus memoria cedit illi objecto quod prævalet. Itane verò Christi oblivisceris, & magis memores nescio quid, quod vel est malum vel bonum? si malum, qualem Christo facis injuriam, cui, quod est malum, anteponis? Quod si est bonum: à quo tandem est illud bonum, nisi à Christo? Quam verò reddis gratiam si beneficium Benefactori præfers? Ex omnibus vero datis bonis, seu collatis beneficiis, cum illud sit excellentius, quo nos redemit suo Sanguine, velitque crebrius illud à nobis frequentari; cedant cætera quantum necesse est, ne, quæ insignior est gratia, cedat aliis.

Ibid.

Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam. O quale donum!

ò qualem exigit memoriam, si dono debet respondere memoria! Estne aliquid animæ Christi pro te datæ melius & pretiosius? *Memento mei cum bene tibi fuerit*, dicebat Joseph Captivo suo liberando, & in pristinum gradum revocando. Et tamen *succedentibus prosperis oblitus est Interpretis sui*. Nonne sic mundi prospera te à Christo avertunt? At saltem illum imitare Ægyptium, qui demum Josephi reminiscens, ait, *Confiteor peccatum meum*. Sic confitere nimiam ingratitude tuam; & expavescere ad id, quod de belluis scribit S. Ambrosius: *Ille impertita alimonia servant memoriam; tu non servas salutis accepta*.

Gen. 40.

Ibid. 41.

L. 6. Hebr. xam. 4. 4.

Vide in 3. parte, Dominicam 13. de vera Gratitude.

Ad Evangelium Ferie, De Petro & Joanne currentibus ad sepulchrum. Joan. 20.

De his agitur Ferie 6. hebdomadæ 1. post Pascha.

DOMINICA IN ALBIS

QUÆ EST

PRIMA POST PASCHA.

DE IISDEM CHRISTI DOMINI

Plagis.

Ad remedium Infirmi-tatum nostrarum Reservatis.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. 20.

VERITAS PRACTICA.

In Plagis sanitas.

Sensus est, quod presentissimum cujuscunque tentationis & infirmitatis remedium, sit in Plagis Christi.

Ratio est, quia Remedium tentationis & cujuscunque infirmitatis spiritualis eò est effi-

cacius, quò imaginationem & appetitum seu affectum nostrum cohibere suavius & fortius simul potest.

Sed valis est consideratio seu representatio plagarum Christi.

Ergo & est remedium presentissimum seu efficacissimum; atque illius usurpandi facilitas est comparanda,

I. PUN-